



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu**

**Estrix, Aegidius**

**Moguntiaë, 1679**

Propositio LXIII. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42472**

*saltem doctrina illorum fuit in praxi: quia talibus personis negare absolutionem non audebant.*

Ad imposturam tam enormem peto, ut vel unum nomet aut Societatis, aut aliorum Ordinum, qui scripserit, dixeritve, causam sufficientem non fugiendi occasionem proximam, esse causam quamlibet utcumque utilem, aut honestam. Nullum inveniet. Cupio redargui.

Sed neque ipse speravit se inventurum: unde mox quasi respirans à calumniâ tam laboriosa, ait, illam fuisse eorum doctrinam saltem in praxi, quia talibus personis negare absolutionem non audebant, spero ego quidem alia futura Dei judicia, alia hominis tam præcipitis. Prudentes, & pii Confessarii Religiosi rationes suas impertiendæ, differendæ, & negandæ absolutionis ritè habent subductas ex principiis optimorum Theologorum S. Thomæ, S. Bonaventuræ & aliorum. Hæ rationes sperant se Deo probaturos: de sua methodo & praxi in hoc ministerio alii viderint.

### PROPOSITIO LXIII.

**L**icitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spiritali, vel temporali nostro, vel proximi.

*Hæc, inquit, Accusator docet Baunius Jesuita totidem*

totidem verbis, item P. Jacobs & ipse Jesuita, & Basilius Pontius Augustinianus, & plurimi alii omnium ordinum. Neque in libro Stephani Baunii, neque in scriptiuncula perbreui Francisci Jacobs vestigium inuenietur, quo suspicari liceat, huiusmodi quiddam ipsos sensisse: pro quo satis erit ea legisse, quæ observavi de sententia utriusque autoris ad Prop. 61.

Sed & perversè in invidiam illam vocatur Basilius Pontius: occasionem videtur præbuisse Baunius tr. 4. de poenit. q. 14. pag. 94. sub finem sic narrando de isto autore: *quin etiam tradit Basilius, ubi supra, occasionem primò & per se quæri posse, cum est aliqua causa eam volendi ad bonum nostrum, aut proximi tam temporale, quam spirituale.* Excusari potest Baunius ista narrans de Basilio: quia ex iis quæ præmiserat, illæ particulæ aliqua causa satis determinantur ad causam iustam & urgentem, qualis est aliena salus æterna: de his enim sermo præcesserat.

Sed ad rem nostram non multum refert, quam providè ista narraverit Baunius; dum constet Basilius Pontium requisivisse magnam & eximiam causam; in qua agatur de bono statu, pace, aut libertate ecclesiæ &c. verba Basilius vide supra ad Prop. 61. Ubi vero in fine illius capituli sexti app. de matrimonio dicit, posse etiam sufficere causam boni temporalis,

disertè requirit gravem causam, ut in conjugio  
*Estheris cum Assuero, Judith cum Holopherne* &c.  
 Neque usquam dicit licere directè quærere  
 occasionem, ac nequidem quod narrat Ba-  
 nius, primò & per se: sed plane sub finem ce-  
 pitis significat non semper requiri, ut occasio  
 sit involuntaria, aut ex necessitate proveniens,  
 sed satis esse, etiamsi sit causa voluntariè quaesita,  
 quod ipsum ne durum videretur, exemplum  
 mentem suam fecit clariorem; sicut, inquit,  
 in eo intelligimus, qui dubius de potentia matri-  
 monium contrahit, & in conjugio *Estheris cum*  
*Assuero*. Denique haud immeritò videbitur  
 aliud esse, quærere directè occasionem proximam  
 peccandi pro bono spirituali aut temporali qualibet  
 cumque; qui est sensus propositionis 63. aliter  
 verò, adire occasionem proximam peccandi  
 sine necessitate quidem, sed spe magni & exitii  
 boni, aut metu ingentis mali, fretum Dei  
 misericordiâ & gratiâ, firmoque desiderio co-  
 vendi peccatum; qui est sensus operose inci-  
 catus à Pontio illo cap. 6. appendicis. Hæc  
 gratiam illius auctoris, cujus ordinem Augu-  
 stinianum putavit non dissimulandum accu-  
 sator.

Quod verò appellat alios plurimos omnium  
 Ordinum doctrinæ damnatæ patronos, constat  
 sibi usque ad extremum in livore suo & odio  
 Religiosorum Ordinum.

CON